

F. 225

DIAGNOSES

PLANTARUM NOVARUM HISPANICARUM

PRÆSERTIM IN CASTELLA NOVA LECTARUM ;

AUCTORIBUS

E. BOISSIER ET G. REUTER

Soc. Phys. Genev. sodalibus.

MARTIO 1842.



GENEVÆ

TYPIS FERDINANDI RAMBOZ,

In vico Hôtel-de-Ville, n° 78.

1842.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT



DIAGNOSES

PLANTARUM NOVARUM HISPANICARUM.

1. RANUNCULUS CARPETANUS N.

R. radice grumosa, foliis omnibus radicalibus petiolatis pubescenti-villosis rotundato-triangularis tripartitis, partitionibus subsessilibus plus minus profundè in lobos ovato-lanceolatos divisis, scapis simplicibus aut parè ramosis subnudis villosulis, calyce patente adpressè hirsuto, carpellorum spicà ovato-cylindricà, carpellis orbiculatis stylo brevi lateraliter uncinatis parè et breviter hirtulis.

Hab. in pascuis et sylvaticis montis sierra de Guadarrama regione montana et alpina supra *Miraflores*, *Puerto de Nava cerrada*, *la Grandja*, *San Rafael*, etc., in Castella nova et veteri (Reuter); — floret Maio et Jun.

β *alpina*, humilis; folia carnosula valdè dissecta, scapi 2-3 pollicares uniflori.

E sectione *Ranunculastro*, a *R. chaerophyllo* differt indumento subpatulo nec sericeo adpresso et præcipuè radice formæ alienæ et collo non fibrilloso; a *R. Monspeliaco* eadem indumenti naturà, foliorum lobis multò magis dissectis nec cuneatis, spica carpellorum angustiori, carpellis rostro multò breviori et uncinato-terminatis. *R. rupestri* Guss. et *blepharicarpo* Boiss. etiam affinis ab eis benè distinguitur floribus minoribus magnitudinis eorum *R. bulbosi*, spica carpellorum multò angustiori carpellis orbiculatis nec orbiculari-ovatis foliisque tripartitis nec trilobis. Tandem *R. spicatus* Desf. ei quoad spicæ formam affinis ab eo egregiè differt floribus dimidio majoribus, foliisque reniformi 5-7 lobatis.

2. PÆONIA BROTERI N.

P. Caule simplicissimo flexuoso unifloro, carpellis 2-5 dense tomentosis a basi subhorizontaliter patentibus, foliis glaberrimis coriaceis subtus albido-glaucis, inferioribus bipinnatipartitis superioribus pinnatis, foliolis integerrimis ovato-lanceolatis acuminatis latere exteriori decurrentibus, floribus magnis roseo-purpureis suaveolentibus, radice crassa, tuberibus,.....

P. officinalis Brot. Fl. Lusit. non L.

In dumosis et collibus regionis montanæ inferioris, ad radicem et in parte inferiori montium, Sierra de Guadarrama, Sierra de Gredos et Sierra de Toledo (Reuter). — Hab. quoque in Lusitania (Brotero). Fl. April-Maio.

Var. β *ovatifolia*. Foliola ovata minus acuminata. — *P. lobata* Boiss. voy. bot. p. 15, non Desf. cat. H. Par.

Hab. in montibus regni Granatensis.

Hæc species totam Hispaniam centralem et australem Lusitaniam que frequens. A *P. lobata* Desf. quæ *P. officinalis* DC. forma est, quæcum varietatem suam β olim confuseram egregiè differt, capsulis a basi nec apice solum divergentibus, foliolis integerrimis nec apicè trilobatis; a *P. peregrina* Mill. — *P. officinali* Gaud. nec DC. faciliè distinguitur foliis semper glaberrimis et coriaceis nec mollibus, foliolis semper integerrimis nec variè sectis. *P. Corallina* Retz et *P. Russi* Biv. facile differunt foliis biternatis lobis multò latioribus.

3. ARABIS STENOCARPA N.

A. pube ramosâ brevi scabra, caule gracili subramoso parçè florifero, foliis radicalibus oblongo-lanceolatis subspathulatis in petiolum attenuatis subdentatis, caulinis lanceolatis acutis sessilibus, subintegris, petalis pallidè lilacinis oblongo-spathulatis calyce duplò longioribus, siliquis rachi adpressis elongatis pedunculo vix duplò latioribus in stylum brevem attenuatis graberrimis, valvulis planis longitudinaliter venulosis, seminibus,.....

Hab. in regione montanâ, in montibus Sierra de Guadarrama dimidio altitudine supra Chozas inter thymos et lavandulam pedunculatam (Reuter).

Affinis *Ar. ciliatæ* R. Br. et præcipuè *A. murali* Bertol., a primâ statim distinguitur siliquis planis nec tetragonis, multòque latioribus; a secundâ differt gracilitate et ramositate caulis, floribus dimidio minoribus, inprimis siliquis duplò angustioribus.

4. *SISYMBRIUM CRASSIFOLIUM* Cav. præl.

S. foliis radicalibus sinuato-runcinatis lobis denticulatis ad costam marginesque breviter ciliatis carnosulis glaucescentibus, caulinis lanceolato-linearibus acutis, supremis integris, caule sparsè piloso vel glabro divaricato-ramosissimo, racemis floriferis abbreviatis antè anthesin subnutantibus, petalis pallidè sulphureis spathulatis, sepalis albo-marginatis hirsutis duplo longioribus, racemis fructiferis elongatis flexuosis, siliquis glabris teretibus pedunculo incrassato brevissimo insidentibus erectis incurvis stigmatè truncato bilobo terminatis, valvulis acutè trinerviis, seminibus oblongis notorrhizeis.

Brassica taraxacifolia Boiss. Voy. Bot. p. 37!

Hab. in ruderatis et ad margines agrorum circà Matritum, la Granja, Aranjuez (Cav. Reuter), et in regni Granatensis regione montanà (Boissier!)

Propter fructum immaturum et aspectum hæc species pulchra distinctaque, in opere suprà citato inter Brassicas immerito collocata fuit.

5. *IBERIS RAYNEVALII* N.

I. biennis, multicaulis, totà pube brevi densà cinereo-scabrida, foliis linearibus obtusis subcarnosis, floribus lilacinis densè corymbosis, racemis fructiferis umbellatis non contractis, siliculis subrotundo-ovatis bilobis, lobis triangularibus acutiusculis loculo multò brevioribus, sinu emarginaturæ acuto, stylo lobis duplo longiore.

Hab. in collibus arenosis propè Aranjuez (A. Rayneval), ad viam regiam inter Aranjuez et Ocaña (Reuter). — Fl. Maio-Jun.

Facies *I. ciliatæ* DC. quæ ab ea differt foliis margine solùm ciliatis, floribus albis, silicularum lobis obtusis stylum æquantibus; *I. pubescens* W. e descriptione propter radicem perennem caules frutescentes, folia tantùm ciliata, lincari-spathulata, inferiora tridentata alia planta est.

6. *RAPISTRUM LINNEANUM* N.

R. caule procero supernè divaricatim ramoso medulla farcto tereti glabro, foliis secùs nervos facie inferiori hispidulis cæterum glabriusculis, inferioribus petiolatis lyratis, superioribus basi attenuatis oblongis dentatis, siliculæ articulo inferiori sterili pedunculo tenuiori, articulo superiori ovato costato-reticulato in stylum paulò breviorè attenuato.

Myagrūm Hispanicum L.! Brot. Fl. Lus.—*Rapistrum Hispanicum* Boiss. et Reut. in Welwitsch pl. Lus. exs. non Medikus.

Hab. in Hispania interiori propè Aranjuez ad margines agrorum (Reuter), Lusitania propè Olisipomen (Brotero Welwitsch!), Africa boreali propè Algeriam (herb. Fauché!).— Fl. April. Maio.

Rapistrum rugosum a nostrā specie eximiè differt caule à basi ramoso, foliis oblongis pubescentibus vix lyratis, siliculæ articulo inferiori seminifero cylindrico, pedunculo multò crassiori, superiore globoso profundius sulcato stylo eum superante terminato. *Rapistrum perenne* habet folia pinnatifida, radicem perennem, stylum siliculæ brevissimum etc. etc.

Nostræ plantæ facies omnino est *Brassicæ nigrae* Koch. *Sinapidis nigrae* L. cum quā florifera facilè confundi potest. Descriptio *Myagri hispanici* Linnæi et Broteri, ad nostram plantam nec ad *Brassicam adpressam* N. *Sinapidem incanam* L. cui auctores eam retulerunt ad amussim convenit. Nomen *R. Hispanici* a Medico pro *Crambe hispanica* adhibitum mutavimus.

7. RESEDA VIRGATA N.

R. glaucescens, glabra, caulibus erectis virgatis elongatis basi densè foliosis parte superiori parcè ramosis, foliis strictis linearibus mucronulatis basi utrinque 3-6 lacinulatis setaceis elongatis albidis, racemis elongatis strictis, calyce sexpartito sepalis lanceolatis, petalis albis sex subæqualibus calyce triplò longioribus duobus superioribus cuneatis ad medium usque trifidis, cæteris lanceolato-linearibus integris, stigmatibus quatuor, capsulis subsessilibus depresso-globosis octo-costatis, costis rotundatis, seminibus reniformibus subglobosis lævibus nitidis.

Reseda glauca Botan. Matritensium nec Linnæi!

Hab. in arenosis et ad margines agrorum circa Matritum usque in regionem montanam montis sierra de Guadarrama (A. Rayneval, Reuter).— Fl. April.-Jun.

R. glauca L. e Pyrenæis ab eā optimè differt. Caulibus multò tenuioribus a basi ramosis humilibus ascendentibus foliis mollioribus subpatulis basi obsolete et brevissimè dentatis racemis fructiferis 1-2-pollicaribus nec semipedalibus, sepalis ovatis nec lanceolatis, petalis longioribus setaceis infra medium trifidis, capsulis pedicello eis æquali suffultis nec subsessilibus, stylis duplò longioribus apiculatis, seminibus etiam lævibus reniformibusque sed radícula longiora subrostratis.

8. DIANTHUS TOLETANUS N.

D. basi suffruticosus multicaulis, foliis surculorum steriliū linearibus carinato-plicatis margine serrulatis acutis, caulinis brevioribus cauli adpressis planiusculis, vaginis foliū latitudinem æquante, caulibus basi quadrangulis simplicibus aut apice ramosis strictis scabris, floribus terminalibus 1-3 breviter pedicellatis, squamis calycinis 4 apice attenuatis acuminatis herbaceis calyce dimidio brevioribus, tubo calycino striato apice subconstricto, dentibus margine et apice scariosis albidis acutiuseculis, petalorum limbo cuneato crenato intensè purpureo facie superiori velutino barbatoque.

Hab. in dumosis rupestribus regionis montanæ in montibus *Sierra de Toledo* supra *San Pablo de los montes* (Reuter).—Fl. Junio et Julio.

Inter *Armeriastrum* et *Caryophyllum* inflorescentiæ formā mediū. *D. Liburnico* quodam modo affinis sed ab eo eximie distinctus foliis angustioribus brevioribus strictis, floribus paucioribus pedunculatis, tubo calycino longiore, petalisque multò brevioribus crenatis nec fimbriato-dentatis. Colore intensè purpureo petalorum insignis. *D. ferrugineus* L. e descriptione suā solū notus, differt petalis bifidis superne luteis aliisque notis.

9. DIANTHUS LABICIFOLIUS N.

D. suffruticosus multicaulis, foliis surculorum steriliū dense fasciculatis acicularibus carinatis dorso bisulcatis serrulatis glaucescentibus, caulinis cauli adpressis, vaginā latitudinem folii ter superante, caulibus subsimplicibus elongatis gracilibus, floribus 2-3 terminalibus subfasciculatis, squamis calycinis ovatis apice aristā pungenti terminatis calyce triplo brevioribus, tubo calycino angustè cylindrico apice constricto dentibus acutissimis, petalorum limbo intensè roseo brevi ovato subcrenato supra glabro.

Hab. in siccis dumosis regionis montanæ, in *Sierra de Guadarrama* circā *San Rafael* (Reuter).—Fl. Aug.

Affinis *D. brachyanto* Boiss. quocum crescit et *D. furcato* Balb. sed ab eis facile distinctus tubo calycino 7-8 lineas nec 4-5 lineas longo, foliis angustioribus, florescentia serotina, colore petalorum intensiori. A polymorpho *D. Seguii* propter tubum calycinum elongatum constrictum, petalorum limbum multo minorem crenatum nec profundè dentatum confundi nequit.

10. *SILENE AGROSTEMMA* N.

S. annua glutinoso-pubescentis, caulibus humilibus simplicibus vel ramosis, foliis lanceolatis mollibus obtusiusculis, floribus laxè racemosis, magnis, calyce membranaceo basi truncato rubello-striato elongato per anthesin cylindrico, dein vesiculoso dentibus brevibus obtusis, petalis calyce sesquolongioribus limbo subrotundo roseo breviter emarginato, appendicibus lanceolatis ferè ad basin usque bifidis, capsula matura pedunculo patulo suffultà erectà, carpophorum capsulà subbreuiore.

Hab. in arenosis ad radices montis Sierra de Guadarrama propè *Colmenar viejo*, *Miraflores*, *la Granja*, etc. (Reuter).—Fl. Maio-Jun.

Collocanda juxta *S. villosam* Forsk. Boiss. voy. bot. pag. 90 cui affinis sed omni parte major, folia latiora, præcipuè limbi petalorum triplo majores rotundati vix emarginati, nec cuneiformes ad tertiam partem usque bifidi, corona elongata, semina duplò majora grisea nec nigr.

11. *SILENE MELLIFERA* N.

S. perennis, brevissimè velutina superne viscosissima foliis radicalibus longè petiolatis ovatis acutis, panicula erecta laxa ramis oppositis trichotomis subtrifloris, floribus porrectis calycibus clavato obconicis dentibus obtusis, petalis viridibus ad medium usquè bifidis breviter coronatis, carpophorum capsulam æquante.

Hab. in lapidosis regionis montanæ, *Sierra de Toledo* supra *San Pablo* (Reuter).—Fl. Jun. Jul.

Hæc species cui *S. Italica* var. *Nevadensis* Boiss. forsan adnumeranda a *S. Italica* melius examinata differt calyce multo breviori petalis brevioribus viridibus nec albis coronæque præsentia. A. *S. nutanti*, floribus erectis nec nutantibus, panicula divaricata nec secunda, colore et brevitate petalorum facile distinguitur. *S. viridiflora* habet inflorescentiam hirsuto-glandulosam, capsulam multo majorem carpophorum brevissimum vix lineam longum. *S. chlorantha* est omnino glabra habet folia linearia, flores subnutantes carpophorum brevissimum.

12. *LYCHNIS MACROCARPA* N. — *L. dioica* bot. matrit. non L. *L. vespertina* Boiss. Voy. non Sibth.

L. dioica, caule erecto supernè laxè dichotomo, foliis lanceolatis acuminatis cauleque pubescenti-velutinis viscidulis, dentibus calyci-

nis triangulari-lanceolatis, petalis semibifidis albis, capsulâ ovato-globosâ nitida apice constricta dentibus extûs revolutis. — Habit. in sepius et dumetis ad *Manzanares* prope Matritum, *Colmenar-viejo* ad radices *Sierra de Guadarrama* (Reuter), et in regni Granatensis regione calida et montanâ (Boissier). — Fl. Jun.-Jul.

L. vespertinæ Sibth. affinis differt caule altiore, floribus majoribus, fœmineis longiûs pedunculatis inprimis capsulâ duplò majore ovato-globosâ nec ovato-conicâ.

13. ALTHÆA LONGIFLORA N.

A. annua tota pilis patulis hirsutissima, foliis inferioribus rotundato-crenatis superioribus profunde tripartitis, partitionibus dentatis, stipulis ad medium usque 2-4 fidis, corollâ calyce duplo longiore, carpellis glabris reniformibus transversè rugosis dorso carinatis.

Hab. in collibus gypsaceis propè Aranjuez (Reuter). — Fl. Junio.

Habitus *Malvæ althæoidis* et *Althææ hirsutæ*, a prima involucro monophyllo 8-9-laciniato statim dignoscenda, a secunda stipulis laciniatis nec integris pedunculis flore brevioribus, corollâ calycem multo superante nec eo brevior, carpellis magis curvatis dorsoque carinatis eximiè distincta.

14. ERODIUM CARVIFOLIUM N.

E. rhizomate crasso carnosio, foliis omnibus radicalibus pilosulis petiolatis longissimis ambitu lanceolatis bipinnatisectis, pinnis infimis brevioribus lobis linearibus acutis rachi integrâ, scapis radicalibus striatis viscidulis multifloris, pedicellis erectis, involucri bracteis ovatis membranaceis brevissimis, sepalis ovatis mucronatis hirtis-glandulosis, petalis purpureis subinæqualibus obtusis calyce triplo longioribus, 2 superioribus striato-maculatis, carpellis villosis rostro eis octuplo longiore terminatis.

Hab. in pratis humidis regionis montanæ in montibus *de Avila* circa *Naval peral de Tormes* et *los Hoyos* Castellæ veteris (Reuter). — Fl. æstate.

Pulchra species foliis semipedalibus et ultra scapis pedalibus insignis, Facie *E. alpinum* l'Her. referens sed ab eo bene distincta foliorum pinnis inferioribus brevioribus nec longioribus et folio sic ambitu lanceolato nec triangulari-elongato, rachi integrâ nec dentata, sepalorum mucrone breviori.

15. SAROTHAMNUS GADITANUS N.

S. ramis angulatis, foliis omnibus trifoliolatis petiolatis, foliolis obovato-subretusis adpressè subsericeis, calyce sericeo subinæqualiter bilabiato, carinâ margine superiori rectâ obovata alas æquante styloglabro, leguminibus breviter et adpressè hirsuto-lanatis compressis crassis rectiusculis abbreviatis.

Hab. in Bætica, in provincia Gaditana propè Chiclana (Monnard! Picard!).

Hæc species florifera magnam habet similitudinem cum *S. arboreo* Webb; ab eo tamen distingui potest ramis angulatis nec obtuse striatis, foliis brevius petiolatis alisque longioribus carinam æquantibus nec eâ brevioribus. Ambo frutiferæ statim dignoscuntur, *S. arborei* legumina papyracea sunt ut in *S. affini* et *Bætico* recta linearia sesqui-2-pollices longa villo elongato pilosa. In *S. Gaditano* autem compressa sunt sed crassa ferè ut in *Spartio junceo* L., pollicem aut paulo amplius longa et indumento breviori densiusque sublanata. E. descriptione *S. arborei* in opere Boiss. Voy. en Esp. p. 137 et 138 dele leguminis formam et characteres qui a speciminibus fructiferis *S. Gaditani* hucusque cum eo confusi deprompti fuerunt.

16. SAROTHAMNUS ERIOCARPUS N.

S. ramis striatis subaphyllis, foliis inferioribus trifoliolatis breviter petiolatis foliolis lineari-lanceolatis superioribus simplicibus ramulisque novellis sericeis, floribus erectis, calyce glabrescente breviter bilabiato, labiis acutiusculè dentatis, carinâ margine superiori incurvâ falcata apice subangustâ alas æquante, stylo subtus ciliato, leguminibus abbreviatis compressis crassis trapezoideo-ellipticis lana densissimâ albâ longè vestitis.

Hab. in regione montanâ in *Sierra de Toledo* supra *San Pablo* Castellæ novæ, et in provinciâ *de Avila* circa *Hoyoquecero* Castellæ veteris (Reuter).

Frutex gyalis trunco simplici, ramisque fastigiatis virgatis gaudens. *S. patenti* Webb fructus forma affinis sed ab eo eximiè distinctus floribus minoribus erectis nec pendulis, foliis minimis, præsertimque legumine plus duplò majori latiorique lana longiori obsito.

17. LUPINUS HISPANICUS N.

L. caule simplici vel basi subramoso adpressè hirsuto, foliolis supra glabris subtus adpressè sericeis foliorum inferiorum obovatis superio-

rum lanceolato-cuneatis acutis, bracteis ovatis acutis minimis citò deciduis, floribus in verticillos remotos 2-4 dispositis pallide violaceis, calycis sericei labio superiori ad basin usque fisso, inferiori longiori apice obsolete tridentulato, leguminibus breviter hirsutis compressis margine sinuatis acuminatis.

Lupinus 11 sylvestris flore subrubente Ortega contin. de la Flora Espanola, p. 374, vol. 5.

Hab. in collibus dumosis ad radices Sierra de Guadarrama propè *el Escorial* et *Colmenar-viejo* (Ort. Reuter).—Fl. Maio.

Propè *L. hirsutum* collocandus sed ab eo benè distinguitur calycis labio inferiori obsolete tridentato nec in laciniis lineares profundas diviso, et indumento diverso. A *L. Thermi* et *albo*, calycis labio superiori ab basin usque bipartito nec integro distinctus; verticillis paucis remotisque insignis.

18. ONOBRYCHIS MATRITENSIS. N.

O. perennis aut biennis, caulibus prostratis humifusis, foliis 9-13 foliolatis, foliolis ovato-oblongis mucronulatis supra glabris subtus caulibusque incano-villosis, spicis breviter pedunculatis elongatis, calyce corolla alba violaceo-suffusà duplo breviorè, vexillo striato carinam subæquante, alis calyce subbrevioribus, carina angulo recto incurvâ legumine pilis brevissimis adpressis hirtò carinato, carinæ discique aculeis basi triangularibus acutissimis leguminis diametrum subæquantibus.

Onobrychis argentea β *longe aculeata*, Boiss., voy. Bot., p. 188.

Hab. in collibus argillosis propè Matritum *al Cerro-negro*, *soto de Luzon* copiosissimè (Rodriguez, Carreno, Reuter).—Fl. Aprili.

Speciminibus pluribus melioribusque observatis ab *O. argentea* optimè distincta spicis multo brevius pedunculatis, elongatis, nec abbreviatis conicis floribus albis nec roseis fructus ferè duplò majoris aculeis carinalibus duplò elongatoribus, disci omnibus aristatis subæquilongis nec submuticis.

19. ALCHEMILLA MICROCARPA N.

A. pusilla annua multicaulis humifusa, foliis palmato-trifidis cuneatis laciniis lateralibus bilobis intermedia trilobâ, fructus subrotundis calyce eis dimidio breviori coronatis.

Hab. Matriti in arenosis frequens secùs Manzanares et ascendit in regionem montanam v. gr. circa *San Rafael* in Sierra de Guadar-

rama (Reuter). Eadem-planta crescit propè Fontainebleau (Boivin!).
—Fl. April. Maio.

Variat fructibus glabris hirsutisque. Ab *Alchemilla arvensi* statim dignoscitur omnibus partium minutie, foliis minus dissectis præsertimque fructû dimidio minori rotundiori calyce eo dimidio breviori nec subæquali coronato.

20. LYTHRUM MACULATUM N.

L. caulibus diffusis quadrangulis ramosissimis, ramis patulis, foliis inferioribus ovatis, superioribus oblongis sessilibus, floribus axillariibus, breviter pedicellatis erectis, calycis subalato sexangulati dentibus accessoriis subobsoletis obtusissimis, petalorum limbo ovato roseo basi albo-maculato staminibus 12 calyce longioribus.

Hab. in argillosis humidis circa Matritum propè *Caravanchel*, circa *Aranjuez* ad lacum Ontigola (Reuter), crescit etiam Gadibus *al Campo santo* et *en la Isla* (herb. Fauché).—Fl. Julio-Sept.

Pulcherrima species *L. Græfferi* affinis quod ab ea eximie differt caulibus ramisque crassioribus strictis nec patulis et subreflexis, foliis inferioribus oblongis, superioribus lanceolato-linearibus, calycis obtusius angulati nec subalati limbus seu dentibus accessoriis triangularibus dentesque veros subsuperantibus, petalorumque limbo longiori oblongo. *Lythrum acutangulum* Lag. ex autopsiâ cl. Gussone in herb. reg. Matrit. *L. Græfferi* ipsissimum est. *L. flexuosum* Lag. descriptione eadem species videtur ceterumque propter calyces qui striati dicuntur a nostra plantâ omnino alienum. *L. Preslii* Guss. a cl. auctore ipso in suppl. Fl. sic. ut varietas *L. Græfferi* nunc etiam habetur.

21. SAXIFRAGA CARPETANA N.

S. perennis glanduloso-viscosa, radice in bulbum simplicem pedicellatum vaginis membranaceis cinctum abeunte, foliis radicalibus petiolatis rotundatis, 9-7 dentato-crenatis dentibus rotundatis, caulinis sessilibus subamplexicaulibus oblongis triangularibus basi profundè dentatis, caule simplici erecto, inflorescentiâ dichotomâ simplici pauciflorâ, floribus pedicello calice breviori suffultis, calyce hemisphærico nigro-glanduloso ad medium usquè in lacinias obtusas diviso, petalis oblongis albis calyce triplo longioribus, stigmatibus spatulatis papillois, capsula subglobosâ calyce ea triplo breviori coronata.

Hab. in pascuis siccis arenosis propè *Colmenar-viejo* ad radices Sierra de Guadarrama (Reuter). — Fl. April-Maio.

Affinis *S. granulatae*, *bulbiferæ* et *Arundanæ* Boiss. Prima a nostrâ abundè differt, radice granulosa, caulibus subaphyllis inflorescentia paniculatâ foliorum magnitate et formâ, petalis longioribus, etc., *Saxifraga Arundana* petalis calycem vix excedentibus floribusque capitatis statim dignoscitur. *S. bulbifera* nostræ affinior est et eundem fere aspectum habet sed caule bulbifero, foliis caulinis inferioribus in petiolum attenuatis nec amplexicaulibus, superioribus linearibus integerrimis, petalis angustioribus longioribus capsulâque minus globosâ sat differt.

22. SAXIFRAGA HAENSELERI N.

S. perennis glanduloso-viscosa basi gemmifera, foliis radicalibus cuneatis in petiolum brevem attenuatis inciso quinquefidis, cœulinis paucis sessilibus cuneato-linearibus trifidis aut integris, caule humili parte superiori ramoso, ramis patenti divaricatis 1-2 floris, floribus longè pedunculatis, calyce glanduloso-hemisphærico ultra medium quinquefido, labis ovatis obtusis, petalis obovatis obtusis tristriatis calyce triplo longioribus, capsulâ subglobosâ calyce dimidio breviori coronatâ.

Hab. in rupestribus regionis alpinæ, Serrania de Ronda *al Cerro de San Cristoval*, anno 1839 legit amic. Haenseler.

Prope *Saxifragam granulosa*m collocanda, a quâ foliorum forma statim dignoscitur.

23. SEDUM GYPSICOLUM N.

S. perenne multicaule, foliis sessilibus oblongis obtusis teretibus densè pubescenti-pruinosis surculorum erectis, caulibus humilibus partè inferiori pubescentibus superiori glabris, cymâ ramosâ terminali subcorymbosâ, calyce glabro, petalis lanceolatis acutis, antheris exsertis nigris.

Hab. in collibus gypsaceis circa Aranjuez, Rivas et la Guardia (Reuter). — Fl. Junio.

Sedo albo affinis a quo differt foliis caulibusque pubescenti-velutinis nec glabris, floribus minoribus petalis acutis nec obtusis.

24. SEDUM PEDICELLATUM N.

S. annuum, foliis ovatis crassis obtusis pruinoso-farinosis, caule ramosissimo humili, ramis flexuosis, floribus pedicellis eis 2-3 brevioribus suffultis, sepalis subrotundis obtusis, petalis ellipticis obtusis expansis albis subtus lineâ roseâ percursis, antheris purpureis.

Hab. in lapidosis et rupestribus regionis montanæ, Sierra de Guadarrama radices propè *Miraflores* et *SanRafael* (Reuter). — Fl. Jun.-Aug.

Prope *S. arenarium* Brot. et *S. Andegavensem* cum quo etiam crescit collocandum, sed ab utroque pedunculorum longitudine statim dignoscendum.

25. BUNIUM SUBCARNEUM N.

B. glabrum, radice globosâ, caule erecto parcè ramoso, foliis radicalibus..... caulinis infimis longè petiolatis tripartitis, partitionibus petiolatis pinnatis, foliolis lanceolato-linearibus mucronatis, supremis trifidis linearibusve, involucro nullo vel monophyllo, involucelli foliolis 3-5 setaceis pedicellos subæquantibus umbellulis multifloris, fructus oblongo-lanceolati lateraliter subcompressi mericarpis oblongis tota longitudine contiguis, valleculis 2-3 vittatis commissurâ bivittâ stylis divergentibus fructu subtriplo longioribus.

Hab. in dumosis regionis montanæ inferioris Sierra de Guadarrama circâ *Miraflores*, *la Granja* et *San Rafael* (Reuter). — Fl. Maio-Jun.

Flores subrosei aut albi, E. sectione *Conopodio* DC. A *B. denudato* differt caule simpliciori, glabritie, foliis minus dissectis, inprimis mericarpiorum formâ qui dimidio ferè minores oblongi nec basi turgidi sunt commissura quoque minus incurva. In *B. capillifolio* Guss. lacinia foliorum multò longiores, corollæ valdè radiantés, in *B. tenuifolio* Salzm. mericarpia linearia mirum in modum elongata sunt.

DURIEUA N. non Mérat. — *Caucalidis* sp. Lam.

Calycis margo obsoletus, petala subrotunda emarginata cum lacinulâ inflexâ, margine ciliata, minutissima aequalia. Styli brevissimi divergentes. Fructus a dorso subcompressus. Mericarpia jugis primariis quinque filiformibus densè et minutè setoso-aculeolatis, lateralibus marginantibus, secundariis quatuor inter se aequalibus, ala in seriem simplicem aculeorum longissimorum ad basin usque fissa, valleculae sub jugis secundariis uni vittatae albumen complanatum.

Genus inflorescentiâ singularissimum habitu *Torilem nodosam* referens sed a *Caucalinearum* tribu albumine orthospermo nec campylospermo recedens ab *Orlaya* petalis aequalibus jugis secundariis simpliciter nec trifariam aculeatis distinctum; fructus structurâ *Dauco*

similis sed ab eo habitu petalisque minutissimis æqualibus nec radiantibus bene distinctum. — Dicitur cl. Durieu qui Asturias, variasque alias partes Hispaniæ perlustravit, ibique pulchras stirpes detexit et nunc plagas Africæ borealis jam a tribus annis peragrat, floramque Atlanticam locupletat. — *Durieua* Merat est *Lafuentea* Lag.

26. DURIEUA HISPANICA N.

D. annua breviter hispidula, foliis bipinnatis, foliolis pinnatifido-incisis, caulibus brevibus ascendentibus, umbellis oppositifoliis sessilibus pauciradiatis, radiis valdè inæqualibus, involucre 2-4 phyllo, phyllis foliis similibus, involucelli phyllis inæqualibus linearibus pinnatifidisve.

Caucalis Hispanica Lam. dict. 1. p. 658.

Hab. in fruticetis arenosis regionis montanæ inferioris inter *Cistos ladaniferos* propè *el Escurial*, et *San Pablo de los montes* provinciæ Toletanæ (Reuter) regn. valentini (herb. cav!). — Fl. Junio.

Hanc cl. Candollius qui eam non viderat dubitatum ad *Torilem nodosam* Gaertn. retulit a quâ omnino abhorret.

27. GALIUM RIVULARE N.

G. foliis 6-8-nis lineari-lanceolatis mucronatis uninerviis, margine carinâque retrorsum aculeolato-scabris, caulibus flaccidis quadrangulibus retrorsum subaculeolatis, paniculâ amplâ diffusâ, pedicellis capillaribus, corollæ lobis acutiusculis, fructibus lævibus.

Hab. ad rivulos umbrosos regionis montanæ, *Sierra de Guadarrama* propè *San Rafael*. Descendit secus rivum Manzanares ad Matritum usquè (Reuter). — Fl. Jul.-Aug.

Caules 2-3-pedales variat glabrum velutino-hirtumque. A *G. uliginoso* propè quod collocandum differt caulibus multò procerioribus, paniculâ amplâ diffusâ fructibusque lævibus nec tuberculato-scabris. A *G. sylvestri*, *mollugine*, et affinis longè differt aculeis retrorsis caulis et foliorum, corollæ laciniis acutiusculis nec cuspidatis. *G. elodes* Link. *G. uliginosum* Brot. e descriptione differt caulibus humilibus, paniculâ pauciflorâ locoque natali nam e paludibus regionis calidæ oriundum est.

28. GALIUM BROTERIANUM N.

G. perenne, superne patentim subhirsutum, caule ascendente ramoso, foliis quaternis ovatis obtusis trinerviis, secus nervos et margi-

nem hirsutis, paniculâ corymbosâ trichotomâ, bracteis ovatis reflexis, corollæ lobis oblongis acutiusculis, fructibus parvis tuberculatis.

G. rubioides Brot. Fl. Lusit. non L.

Hab. ad rivulos in umbrosis regionis montanæ Sierra de Guadarrama *al Pinar de San Rafael*, et ad rivum *Tormes* propè *Navalperal* in monte Sierra de Gredos (Reuter). — Fl. Aug.

Pulchra species habitu *Platygalia*, *G. rubioidem* et affinis referens sed ab eis fructu tuberculato nec lævi dimidio minori bene distinctum. A *G. elliptico* Willd. et affinibus fructibus glabris nec hispidis habituque toto longè differt. Corolla nivea nec ochroleuca.

29. VISCUM LAXUM N.

V. totum obscurè virens, ramis laxè dichotomis, foliis elongatis lineari-subfalcatis obtusis, baccis ternis ovatis flavis.

Hab. super truncum ramosque *Pini sylvestris* in regione montanâ parasiticum *Puerto de Guadarrama* in declivitate septentrionali supra *San Rafael*.

A *Visco albo* abundè differt virore obscuro nec flavescente, ramis diffusis semperdichotomis nec trichotomis, foliis longioribus plus duplò angustioribusque baccis ovatis nec sphaericis flavis nec albis. — *V. cruciatum* Sieber baccis pedunculatis omnino differt. — Tota planta odorem malorum redolet.

30. ANTHEMIS CHRYSOCEPHALA N.

A. perennis multicaulis, caulibus simplicibus supernè nudis foliis parè et adpressè hirsutis pinnatisectis, laciniis brevibus subcarnosis trifidis integrisve, capitulis longè pedunculatis subsphaericis discoideis involucri squamis adpressissimis oblongo-lanceolatis obtusiusculis margine araneoso-tomentosis, dorso subcarinatis glabrescentibus, receptaculo hemisphaerico, paleis lanceolatis incurvis carinatis flosculos subæquantibus nervo viridi excurrente mucronulatis margine suberosis, achæniis marginalibus abbreviatis incurvis angulosis corona brevi dimidiatâ subintegra superatis, interioribus tenuioribus rectiusculis basi attenuatis obeonicis coronâ obliquâ dentatâ brevissimâ terminatis omnibus lævibus.

Hab. in arenosis regionis montanæ inferioris *Sierra de Guadarrama* inter pagum ejusdem nominis et *la Granja*, in valle *del Pautar*, *montes de Toledo* supra *San Pablo* (Reuter). — Fl. Junio. Hab. quoque in montibus *Thraciæ* (Olivier Griesebach), *Troadis* (Olivier).

Lyonnetia tenuiloba DC! Prod. et herb. — *Anacyclus orientalis*, DC! Prod. an L? — *Lyonnetia montana* Griesebach! mss.

Specimina nostra Orientalibus comparata identica omnibus partibus fuerunt. Mirum est hanc speciem patrias adeo diversas habere. Etsi capitula semper discoidea sint nullus est character quo eam ab anthemide separare possis, ab *Anacyclo* autem et *Lyonnetiis* annuis aspectu toto characteribusque recedit. — *Anthemis nobilis* varietatem discoideam quoad flores nostræ similem, id est *Anacyclum aurum* Brot. Alia *Anthemis* capitulis discoideis et akeniorum coronâ nulla insignita, nostræ affinis sed foliorum regulariter pectinatis laciniis setaceis acutis aliisque characteribus distincta est *Anthemis pectinata* N. — *Anacyclus pectinatus* Bory et Chaub. Fl. Pelop. t. 28, f. 2. — *Lyonnetia pectinata* Grieseb. mss. ex montibus Græciæ (Bory), Thraciæque (Griesebach) oriunda.

31. PYRETHRUM SULPHUREUM N.

P. basi suffruticosum multicaule sericeo-incanum, caulibus ascendentibus semipedalibus simplicibus basi densè foliosis supernè nudis monocephalis, foliis inferioribus lineari-spathulatis apice brevissimè 3-5-fidis, lobis acutis, supremis linearibus integris, involucri squamis adpressè sericeis secus margines nervumque medium sphacelatis exterioribus triangularibus acutis, interioribus apice membranaceis obtusis sublaceris, flosculi radiis citrinis, achæniis omnibus conformibus striato-costatis coronâ subintegrâ eis triplò brevioribus superatis.

Var. β . *Alpina* minùs sericea caules abbreviati, involucri squamæ glabrescentes, ligulæ albæ.

Hab. in arenosis et dumosis regionis montanæ, Sierra de Guadarrama declivitas australis supra *Guadarrama* oppidum, *Chozas*, *Miraflores*, etc. (Reuter). — Fl. Junio. — Var. *Alpina*, in altissimis *Puerto de Navacerrada*, *la Marcuera* inter *Miraflores* et *el Paular*, *Puerto de Reventon* supra *la Granja*.

Pulchra stirpis facie *Stenogyne*s. Inter *P. pulverulentum* Lag. et *P. radicans* Cav. media. A primo caule basi suffruticoso, indumento longiori, foliis apice 3-5 fidis, nec regulariter pectinatis, colore ligularum statim dignoscitur. *P. radicans* foliis omnibus radicalibus profundè pinnatisectis, involucri squamis glabrescentibus obtusiusculis, ligulis post anthesin aurantiacis revolutis, ovariorum corona dimidio brevioribus distinctum. — Var. β a speciei colore ligularum et caules humiliores solum differt.

32. CENTAUREA TOLETANA N.

C. perennis, scapo subnullo monocephalo, foliis omnibus radicalibus petiolatis araneoso-canescens; primordialibus ovato-lanceolatis integris aut inæqualiter lobatis, cæteris longissimis pinnatipartitis, partitionibus lanceolatis aut ovatis indivisis irregulariterque lobatis, lobis spina terminatis, capitulis magnis involucri glabri squamis adpressis exterioribus viridibus integris appendice albidâ lanceolatâ margine longè ciliato-pectinatâ apice subspinosa terminatis, interioribus apice encullato-rotundatis fimbriatis, flosculis citrinis.

Hab. in dumosis regionis montanæ inferioris *Sierra de Toledo* supra *San Pablo de los montes* (Reuter).—Fl. Jun.-Jul.

Pulchra species e subsect. *Lopholomoides* DC. et propter capitula subcaulia cum nulla affinium confundenda. Habitus *C. acaulis* L. quæ involucri squamis in spinam validam abeuntibus omnino differt.

33. CYNARA TOURNEFORTII N.

C. foliis omnibus radicalibus amplis humi expansis supra glabrescentibus subtus araneoso-tomentosis nervosis, ambitu lanceolatis pinnatipartitis, partitionibus subalternis basi confluentibus oblongo-lanceolatis dentato-spinosis, capitulo sessili magno, involucri glaberrimi squamis adpressissimis appendice reflexâ basi cordata integra in spinam subulatam attenuata terminatis, flosculis cæruleis.

Cynara minima Lusitanica magno flore cæruleo Carlinæ facie Tourn. inst.—Quer. Fl. Esp., vol. IV, p. 307.

Habit. in collibus argillosis ad margines agrorum circa Matritum, pone collem *Cerro Negro* (Reuter), *al cerro de la Meseta enfrente al soto Luzon* (Quer) *et en la Alcarria* circa *Lupiana* (Quer)—Fl. Jul.-Aug.

Stirps insignis, rarissima a botanicis antiquioribus solum nota et cuius nobis specimen unicum hucusque videre contigit capitulum omninò acule magnitudine *C. Cardunculi*. Folia pedalia et ultra.

34. CARDUNCELLUS ARANEOSUS N.

C. totus pilis arachnoideis sparsis obtectus, caulibus erectis parçè ramosis foliis inferioribus profundè pinnatifidis lobis lanceolatis subintegris, supremis subamplexicaulibus dentatis, lobis dentibusque in spinas subulatas lutescentes abeuntibus, involucri breviter araneosi squamis parte inferiori striato-nervosis, exterioribus in appendicem folia-

ceam ciliato-spinosam capitulum subæquantem subpatulam abeuntibus, inferioribus brevioribus appendice scarioso-lacerâ obtusâ terminatis, corollis cæruleis pappo tubum corollæ dimidium subsuperante.

Hab. in collibus argillosis Castellæ novæ propè *Aranjuez*, *Ocana* et *la Guardia* (Reuter), etiam in regno Granatensi observavit cl. Rambur.—Fl. Junio.

Caules $\frac{1}{2}$ -1-pedales. Hæc species a *C. cærulei* formis omnibus pappo triplò longiore longiùs plumoso statim dignoscitur. *C. hispanicus* Boiss. qui pappum ejusdem naturæ habet differt glabritie, foliis dentatis nec pinnatifidis, capitulis triplò minoribus involucri squamis exterioribus brevioribus minùs foliaceis.

35. CARDUUS CARPETANUS N.

C. foliis lanceolatis profundè pinnatipartitis subtis albo-lanatis lobis profundè 3-5 fidis subtis valdè nervosis in spinas longas flavescentes abeuntibus, caule albo-lanato simplici apice corymboso foliorum decurrentia alato, alis lobatis spinosissimis, capitulis 4-7 densè corymbosis breviter pedunculatis, involucri parcissimè arachnoidei squamis erectis adpressis lanceolatis carinatis, interioribus coloratis flosculos subæquantibus longè acuminatis tenuioribus.

Hab. in regionis montanæ cultis derelictis, pascuis, Sierra de Guadarrama propè *Colmenar viejo*, *el Escorial*, *la Granja*, *San Rafael*; Sierra de Gredos (Reuter). — Fl. Junio.-Jul.

Inter *C. myriacanthum* Salzm. et *C. Carlinoideum* Gouan collocandus. Primus a nostro differt foliorum lobis minus dissectis subnerviis, spinisque foliorum et caulis multo minoribus, caule ramoso proceriori, capitula dimidio minora, involucrique squamis internis minus acuminatis *C. Carlinoideum* Gouan nostro affiniore crassitie spinositateque majori statim dignoscitur. In eo quoque capitula numerosiora, involucri squamæ internæ latissimæ flosculique amœnè rosei nec purpurei. *C. affinis* Guss. et *corymbosus* Ten. a nostro multis characteribus differunt.

36. TARAXACUM PYRRHOPAPPUM N.

T. foliis omnibus radicalibus longè obovatis runcinato-dentatis subtis cano-pulverulentis supra glabrescentibus, scapis in anthesi subnullis dein elongatis albo-lanatis, capitulis parvis subcylindricis, involucri leucophœi glabri squamis angustis exterioribus triplo brevioribus subadpressis, interioribus apice corniculatis, achæniis griseis compressis apice spinulosis in stipitem eis plus duplò longiorem attenuatis pappo scabrido pallidè rufescenti.

Hab. in argillosis ad vias propè Matritum infra *Caravanchel*, inter *Ocana* et *Aranjuez*, et propè *la Guardia*, etc.

Species pappo colore et aliis characteribus distinctissima.

37. HIERACIUM CASTELLANUM N.

H. foliis radicalibus in rosulam expansis glabrescentibus lineari-lanceolatis utrinque setoso-pilosis prætereaque subtus præsertim brevissimè stellato-canescens, rosulis omnibus sterilibus ad collum stoloniferis, stolonibus humi adpressis foliosis extremitate scapos apice parce squamosos monocephalos 1-4 erectos ferentibus, involucri squamis nigro-glandulosi pilis albis longioribus intermixtis, flosculis exterioribus subtus purpureis.

Hab. in pascuis arenosis regionis montanæ inferioris et etiam alpinæ in *Castella* utraque præsertim in montibus frequentissima, *Matriti al Pardo*, *Sierra de Guadarrama*, *de Gredos*, *Sierra de Toledo* ubique (Reuter). — Fl. Julio-Aug.

Species crescendi modo curiosissima propè *H. Pilosellam* collocanda ab eo affinisque statim dignoscenda rosulâ semper sterili, stolonibus elongatos prostratos emittente, qui extremitate scapos floriferos annoque insequenti rosulas alteras steriles sed iterum stoloniferas edunt et sic plantam longè latèque propagant. Capitula iis *H. Pilosellæ* paulò minora sulphurea.

HISPIDELLA Barnades.

Sic genericus character restituendus.

Capitulum multiflorum homogamum. Involucri squamæ 1-seriales basi concretæ apice liberæ acuminatæ dorso setosæ post anthesin conniventes. Receptaculum alveolatum, alveolis omnibus profundis in fimbriillas achænia superantes productis. Flosculi omnes hermaphroditii ligulati, ligulis exterioribus radiantibus multò majoribus. Antherarum muticarum tubus elongatus. Stylus apice breviter bifidus stigmatibus cylindraceis exsertis. Achænium obpyriforme costulatum apicice breviter et obliquè umbonatum. Pappus nullus.

Flosculi omnes evidentes ligulati sunt, hunc characterem summus *Candollius* propter imperfectionem speciminis sui non videre potuit. Hoc genus omnibus notis *Cichoraceis* adnumerandum est, sed propter receptaculum alveolato-fimbriilliferum achæniaque simul epapposa in nullam subtribuum hucusque notarum inseri potest et novam propè *Lampsaneas* collocandam et sic definiendam constituit.

SOLDEVILLEÆ N. Receptaculum alveolato-fimbrilliferum. Pappus nullus. — Herbæ annuæ hispidae, flosculi exteriores flavi interiores discolores fusco-purpurei.

38. JASIONE SESSILIFLORA N.

J. perennis, multicaulis, radice crassâ caulibus humifusis vel ascendentibus elongatis basi densè foliosis parte superiori nudis, foliis oblongis obtusis linguæformibus margine albo nervosis subtus secus nervum medium caulibusque infernè setosis, bracteis ovatis repando-dentatis obtusis margine subrevolutis facie superiori parè lanatis, floribus subsessilibus, calycis laciniis carinatis subulatis pungentibus margine plus minüsve lanatis corollam subæquantibus.

Var. *α. Montana*. — Caules prostrati ramosi. Capitula majora. Flores intensius cærulei. Minus hispida.

Hab. in pinetis Sierra de Guadarrama propè *San Rafael, Puerto de Navacerrada, Montes de Avila* (Reuter). — Fl. Aug.

Var. *β. Canescens*. — Caules erecti monocephali. Capitula minora. Flores pallidè cærulei. Planta hirsutior.

Hab. in arenosis collium propè Matritum *Chamartin, Pardo, Casa del Campo* (Reuter). — Fl. Jun.

Var. *γ. Eriantha*. — Caules abbreviati 2-3 pollicares monocephali densè tomentosi. Involuerum tomentosum. Calycis laciniæ valde lanatae.

Jasione humilis β tomentosa Alph. DC.

Hab. in Sierra Morena (Boissier), montibus circa *Herencia* in provincia *la Mancha* (Lagasca! Pav! herb.).

Hæc species a *J. montana* et *perennis* abundè differt floribus subsessilibus nec pedicello calycinum tubum æquante suffultis. *J. humilis* habet caules humiliores, flores pedicellatos lacinasque calycis corolla multò breviores latiores triangulari-elongatas nec subulatas. *J. corymbosa* Poir. radice annua, foliis undulatis, caulibus ad apicem usque foliosis satis superque differt. Omnes varietates supra enumeratæ etiamsi habitu dissimiles mirè floribus sessilibus, formâ longitudine laciniarum calycis interse congruunt.

39. NONEA MICRANTHA N.

N. annua tota pilis brevibus flavescentibus hispida, caulibus prostratis abbreviatis foliosis, foliis lanceolato-oblongis obtusis subundulatis basi attenuatis sessilibus, floribus ad apices ramorum congestis

subsessilibus foliis superioribus bracteatis, calyce ad medium usque quinquefido demum inflato breviter campanulato pendulo, tubo corollæ angusto breviter exserto, limbo parvo pallidè cœruleo, nucibus basi profundè excavatis annulo tumido striato instructis latere exteriori rotundatis reticulatis, interiori carinato-acutis.

Hab. in collibus gypsaceis propè Aranjuez ad lacum *Ontigola* (Reuter).—Fl. April.

A *N. nigricante* et *pulla* caulibus prostratis et inprimis colore et minutie corollarum quæ eis *Myosotidis arvensis* vix majores sunt satis superque differt. Aspectus quodammodò *N. albæ* quæ nucibus reniformibus aliisque characteribus a nostrâ differt et a genere probabiliter removenda.

40. CELSIA PINNITAFIDA N.

C. minutè puberula caule simplici erecto folioso, foliis inferioribus in rosulam approximatis lanceolatis breviter petiolatis profundè pinnatifidis, laciniis acutis inæqualibus dentatis rachi latâ dentatâ, foliis caulinis amplexicaulibus dentato-pinnatifidis, bracteis cordato-triangularibus dentatis pedunculo multò brevioribus, racemo elongato laxifloro pedunculis patulis apice incurvis calyce duplò longioribus, calycis glandulosi laciniis ovatis parcè et acutè denticulatis, corollâ amplâ luteâ basi parte superiori purpureo-maculatâ, capsulâ globosâ calyce duplo longiore stylo persistente longè apiculatâ.

Hab. in pascuis siccis arenosis regionis montanæ inferioris, *Sierra de Guadarrama* radices, circa *Colmenar viejo* (Reuter), et propè *Hortaleza* tractûs *Matritensis* (herb. Pavon).

Speciosa planta bipedalis, a *C. Cretica* et *C. betonicaefolia* forma foliorum aliisque characteribus abundè distincta. *C. laciniata* Poir. quam descriptionem solum novimus Africæ borealis incola, a nostra differe videtur foliis superioribus aliis angustioribus sessilibus nec amplexicaulibus, pedunculorum brevitate, sepalis bracteisque integris nec dentatis.

41. LINARIA NIVEA N.

L. perennis, caule glabro crasso erecto parte superiori paniculatim ramoso, ramis virgatis, foliis glaberrimis lanceolato-linearibus acutis alternis subtrinerviis, floribus numerosissimis in racemos breves dispositis, sepalis obtusiusculis glanduloso-puberulis, corolla alba pallidè violaceo-striatâ, palato albo densè longèque barbato, calcare tubum co-

rollinum æquante, seminibus minimis prismatico-angulatis tuberculatis.

Hab. in fruticetis *Genistæ purgantis* in regione montanâ superiori, *Sierra de Guadarrama* supra *Chozas*, *Miraflores*, *San Rafael*, etc., etiam in montibus *de Toledo* et *de Avila* (Reuter).— Fl. Jul.-Aug.

Pulcherrima planta floribus copiosissimis niveis latos tractus ornans. Propè *L. striatam* collocanda quæ a nostra abundanter differt, foliis multò angustioribus linearibus uninerviis, sepalis acutis glaberrimis, floribus dimidio minoribus, calcare corollâ multò brevioris palato lacteo breviter et parè nec longè et copiosè barbato, capsulis multò minoribus nec ut nostra pisum subæquantibus, globosis nec ovatis, seminibus ejusdem formæ sed triplò majoribus.

42. COLMEIROA Reut. in mem. S. h. nat. Genev. 1842. Rhamni et *Adeliæ* sp. Poir. dict.

Flores abortu dioici. Calyx 6-phyllus persistens. Corolla nulla. — Masc. stamina 6 interse libera longè exserta biserialia disco glanduloso imposita, antheræ extrorsæ. Rudimenta stylium tria claviformia extus revoluta. — Fœm. stamina nulla. Ovarium disco annulari impositum triloculare, loculis biovulatis, stigmata tria sessilia bipartita. Capsula tricocca, coccis bivalvibus dispermis, seminum testa crustacea! — Frutex hispanicus, e *Phyllanthis* tribu *Euphorbiacearum*, *Gelberæ* Fisch. affinis, differt calyce 6 nec 5-partito, staminibus 6 nec 5, antheris extrorsis nec introrsis et seminum testâ crustaceâ nec membranaceâ. Genus *Adelia* differt staminibus numerosis basi coalitis, ovarii loculis monospermis, etc. — Dicavi amiciss. don Miguel Colmeiro doct. med. hispanico, et botanico peritissimo.

C. BUXIFOLIA Reut. l. c.

C. ramis virgatis ramosissimis apice spinescentibus, foliis alternis vel fasciculatis ovatis vel obovatis apice submarginatis integerrimis glaberrimis, stipulis minimis lineari-subulatis deciduis, floribus in fasciculos laterales dispositis, pedunculis nudis filiformibus, floribus herbaceis, calyce stellatim patente, capsulâ globoso-depressâ obtusè 3-6-costatâ.

Rhamnus buxifolius Poir. dict. 4. p. 464. DC. prod. 2. p. 24. *Adelia virgata* Poir. dict. suppl. 2. p. 132.

Hab. in alveis arenosis fluviorum, Numidiæ (Poir.), Lusitaniæ (h. Pav!), Bæticæ propè Hispalim (h. Cav!), Castellæ veteris, mon-

tium Marianorum ; Estremaduræ (Quer), propè *Layos* provinciæ Toletanæ, et *Alcala de Henares* (Clus. Reuter). — Fl. Martio.

43. CROCUS CARPETANUS N.

C. tunicis radicalibus tenuissimè fibrillosis foliis synanthiis canaliculatis subtus striatis convexis margine serrulatis erectis rigidis tubo corollino brevioribus, vaginis communibus angustis, spathâ diphyllâ obtusâ angustâ, perigonii laciniis obovatis obtusis valdè concavis, fauce glabra, filamentis anthera paulò breviorè stigmatè antheras subæquante tripartito ciliolato-fisso violaceo.

Hab. in sylvaticis regionis alpinæ, Sierra de Guadarrama, *al Puerto de Nava Cerrada* in pinetis declivitatibus septentrionalis (Reuter). — Fl. vere.

Tunicæ radicales reticulatim tenuissime fibrillosæ areolis valdè elongatis. Vaginæ communes foliorum et scapi ea arcetè amplexentes albæ membranacæ striato-plicatæ apice subretusæ. Folia synanthia tubo corollino breviora in planta floriferâ sub 3 ½-pollicaria extus convexa striata, striis per paria dispositis, supra concavo-canaliculata latè vittata, margine tenuissimè retrorsum serrulata in planta florente erecta rigida obtusa fructiferâ verò valdè elongata patulo-recurva, scapus in planta florente semipollicaris uniflorus. Spatha diphylla tubo corollino plus duplo brevior eum arcetè amplectens alba striis pallide violaceis percursa, phyllis carinato-plicatis subæqualibus obtusis. Tubus corollinus cylindricus ad faucem ampliatius curvatus albus supernè violaceo griseoque suffusus circ. 3 ½ pollicaris. Limbi partitiones interse subæquales obovatæ apice rotundatæ eximie concavæ pallidè lilacinæ dorso medio intensius coloratæ. Limbus expansus diametro sesquipollicaris. Faux corollæ nuda alba. Filamenta alba antheris breviora fauci inserta, antheræ filamento paululum longiores lineares basi sagittatæ apice acutæ. Stigma antheras subæquans aut paulò brevius pallidè violaceum striis intensioribus pictum tripartitum, partitionibus subæqualibus tubæformi-compressis 3-4 lobatis lobis brevissimè fimbriatis. Scapus fructifer ½-1 pollicaris, capsula ovata 4-5 lineas longa violascens obtusissimè trigona.

Ab omnibus speciebus mihi notis inter alios characteres stigmatè violaceo nec croceo differt.

44. POTAMOGETON MICROCARPUS N.

P. rhizomate repente filiformi caules brevissimos simplices monostachyos edente, foliis omnibus conformibus emersis ovatis vel oblongis

in petiolum supra convexiusculum ea subæquantem attenuatis lætè viridibus, pedunculis post anthesin incurvis spicâ tenui cylindrica longioribus carpellis minimis lenticularibus margine obtusis.

Hab. in cœnosis palustribus regionis montanæ in pinetis propè *San Rafael* (Reuter, Carreno).

Caules cum scapo bicollicares. A *P. natante* differt fructibus triplo minoribus lenticularibus obtusisque ovatis acutis. Eadem carpellorum minutie formaque foliorum a *P. rufescente* et *plantagineo* satis distinctus.

45. NARCISSUS APODANTHUS N.

N. glaucescens, foliis 2-3 fistulosis supra canaliculatis, subtus 2-3-angulatis angulis omnibus acutis scapo tereti striato unifloro folia subæquante, ovario sessili, spathâ angustâ perigonii tubum subæquante, flore citrino concolori laciniis ovatis mucronulatis stellatim patentibus, coronâ cyathiformi plicatula sex-loba perigonio dimidiò brevior.

Hab. in rupestribus regionis montanæ et alpinæ, in monte Sierra de Guadarrama, *Cuesta San Pedro*, supra *Chozas*, *Miraflores*, *Puerto de Nava cerrada*, etc. (Reuter).— Fl. April.-Maio.

Habitus *N. Junquillæ* et *juncifolii*. Ab utroque ovario sessili aut subsessili nec pedunculo eo longiore suffulto satis differt. Folia insuper angulata nec teretia glaucescentia nec viridia. Scapus semper uniflorus. Flos subinodorus.

46. ALLIUM STRAMINEUM N.

A radice bulbosâ, foliis omnibus radicalibus linearibus planis glabris scapum subæquantibus, scapo nudo tereti parte superiori subanguloso, spathâ..... caducissimâ, umbellâ capsuliferâ subfastigiata, pedunculis flore sesquolongioribus, perigonii luteo-straminei phyllis lanceolatis acutiusculis, staminibus parte inferiori perigonii insertis eo subdimidiò brevioribus simplicibus æqualibus a basi subulatis, capsula perigonio subdimidio brevior.

Hab. in montibus *Sierra de Toledo* inter *Yeberes* et *el convento del Castanar* (Leon in herb. Pavon).— Fl. Mayo.

E sectione *Molium* ab omnibus hujus sectionis *A. Moly* excepto florum colore distinctum. Folia sesquilineam lata. Flores magnitudine eorum *Allii albi* Sant.

47. ALOPECURUS CASTELLANUS N.

A. glaucescens, radice repente, culmo erecto elongato, limbo foliorum superiorum vaginam inflatam superante, paniculâ spiciformi densissimâ ovato-oblongâ, glumis infra medium connexis acutis carinâ longissimè ciliatis prætera adpressè hirsutis, glumella dorso hirtulâ prætereà glabrâ paulo supra basin aristatâ aristâ flosculo duplò longiore.

Hab. in pascuis humidis et ad rivulos planitie et regionis montanæ inferioris, *Aranjuez*, *Matriti ad Manzanares*, *Chamartin Colmenar viejo*, *Guadarrama*, etc. (Reuter). — Fl. Maio.

Planta in siccis pedalis spicâ ovatâ, in humidis bi aut tripedalis spica oblonga. Hæc forma præsertim facie *A. pratensi* affinis est, sed ab ea facile distinguitur spica oblonga nec cylindricâ tenuiori spiculis plus dimidiò minoribus, glumis brevioribus obsoletissimè nec evidenter trinerviis, tota superficie nec secus nervos solùm ciliatis. *A. alpinus* Sm. a nostra specie foliis brevissimis, culmo crasso ad spicæ basin contracto, spiculis nigricantibus sericeis, aristis subinclusis satis superque differt.

48. AGROSTIS NEBULOSA N.

A. annua multicaulis, radice fibrosâ, foliis planis teneris vaginisque scaberrimis, ligulâ oblongâ acuta lacerâ, paniculæ amplæ ovatæ, ramis semiverticillatis numerosissimis scaberrimis, pedicellis lævibus apicè incrassatis, glumis lanceolatis obtusiusculis parte superiori dorso scabriusculis cæterum glabris, glumellis albis pellucidis lævibus glumis quadruplò brevioribus, exterioris truncatâ propè basin aliquandò aristâ rectâ ea quintuplò longiori munitâ, sæpius muticâ interiori angustiori acutiusculâ.

Hab. in humidiusculis collium arenosorum et gypsaceorum, propè *Rivas* circa Matritum, *San Pablo de los montes* provinciæ Toletanæ, *valle Ambles* propè *Avila* Castellæ veteris (Reuter). — Fl. Jul.

Ab *A. elegans* Thore cui magis affinis differt foliis planis scaberrimis valdè nervoso-striatis, nec convolutis brevissimis, culmo multò proceriori, ramis paniculæ numerosissimis scaberrimis, glumis dorso scabris nec lævibus, corollâ calyce quadruplò breviori nec eum subæquante, etc. — *Agrostis tenerrima* Trinius ex auctore ipso in Act. acad. petrop. *A. elegans* Thore ipsissima solùm est.

49. AGROSTIS CASTELLANA N.

A. radice cæspitosâ perenni fibrosâ, culmo erecto glabro scabriusculo foliis planis siccitate convolutis glaucescentibus facie superiori scabris

profundè exaratis, ligulâ albâ sublacerâ, paniculæ elongatæ angustæ, ramis distanter semiverticillatis scabris valdè inæqualibus pedicellis scabris, glumis lanceolatis acutis subæqualibus dorso scabriusculis, glumellis basi breviter penicillatis hyalinis, exteriori calyce breviorè apice breviter bisetosa paulo supra basin aristata ea duplo longiori, glumellâ interiori dimidio breviori truncato-emarginatâ.

Hab. in collibus arenosis et dumosis planitie et regionis montanæ vulgatissima, *Chamartin, Casa del Campo, Sierra de Guadarrama* ubique (Reuter). — Fl. Jun.-Jul.

Affinis *A. Caninæ* quæ summopere differt foliis setaceis, floribus minoribus in paniculam breviorè dispositis, arista dorsali nec basilari glumellâ unicâ.

50. HOLCUS SETIGLUMIS N.

H. radice annuâ fibrosâ, culmis teneris foliosis, foliorum limbo brevi vaginisque subinflatis breviter velutinis, ligulâ brevissimâ truncatâ, paniculâ oblongâ subcontractâ pedicellis hirsutis, glumis carinâ ciliatis sæpè omnino hirsutis exteriori trinervi apice aristam rectam eam subæquantem ferente, interiori uninervi brevius aristatâ, flosculis calyce dimidio brevioribus glabris nitidissimis breviter pedicellatis, inferiori mutico basi parcissimè longèque piloso, superioris basi nudi glumella interiori paulò infrâ apicem aristam curvato-uncinatum eam subæquantem gerente.

Hab. in quereetis arenosis collium, *Casa del Campo, Pardo*, circa *el Escorial* (Reuter). — Fl. Jun.

Species glumis verè aristatis nec apice attenuatis distinctissima. *H. Gayano* Boiss. affinis sed major, panicula multiflora et præter characterem jam indicatum flosculus superior nudus nec basi pilosus, arista uncinata nec geniculata, glumellam æquans nec eâ quadruplò longior, etc., etc., glumæ solum ciliatæ aut omnino hirtulæ variant.

51. VULPIA TENUICULA N.

V. annua, culmis debilibus pumilis, foliis planis vaginisque hirsutis ligulâ brevissimâ laxâ, paniculâ contractâ strictâ secundâ, spiculis 2-3 floris, glumis lanceolatis acutiusculis viridibus margine hyalinis subæqualibus, glumellâ flosculi inferioris submuticâ, flosculorum superiorum paulò infrâ apicem bifidum breviter aristulatâ, glumella interiori hyalinâ bifidâ.

Hab. ad radices collium *Aranjuez* prope lacum *Ontigola* (Reuter).
— Fl. Maio.

Prope *Vulpiam Michellii* — *Kæleriam macilentam* DC. collo-
canda quæ eximie differt panicula densiori confertiori glumis valde
inæqualibus, glumellis omnibus aristam eas subæquantem gerentibus.

